



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarrationes Novae D. Martini Lutheri in Ionam Prophetam

Jonas, Justus

Haganoæ

Et Niniue erat ciuitas Dei triu[m] dierum itinere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36521

deuicti sunt & caesi . Adeo est uanum & impium
 quicquid homines sua sponte pro arbitrio sine man-
 dato & uerbo Dei incipiunt . Vltra hoc in secunda
 hac uocatione Ionæ clare adijcitur, quid ex manda-
 to Dei prædicare debeat, ut sic ministerium, simul
 & doctrina habeant iussum Dei . Nam tunc uere pro-
 phetica uocatio est, & affert fructum: aliás hi qui
 currunt sine mandato Dei, aut aliud docent quam
 Verbum Dei, hi tantum perniciem afferunt Eccle-
 sijs, quemadmodum hæc duo Hieremias docet, Cur-
 rebant, inquit, & non mittebam eos, id est, prædica-
 bant & ego non mandabam eis . Hæc duo diligen-
 ter obserua qui docturus es, nam tua interest & Ec-
 clesiarum te esse à Deo missum . Sic Petrus illa duo
 complectitur, Si quis loquitur, loquatur ut eloquia
 Dei: si quis ministrat, ministret tanquam ex uirtute
 quam suppeditat Deus . Ideo omnis plantatio quam
 non plantauit pater, eradicatur . Quæuis enim plan-
 tentur hæreses, & non nihil florent, tamen non fe-
 runt fructum . Sic doctrinæ humanæ florent quidē
 aliquandiu, & sæpe nocent Ecclesijs, sed non suc-
 cessum habent, sed tandem percunt & eradicantur,
 cum compleuerint dies suos .

Et Niniue erat ciuitas Dei triū
 dierum itinere .

I N I O N A M

Quare Niniuen uocat ciuitatem Dei, cum tamē
 ibi nec templum Dei, nec cultus, nec propheta fue-
 rint. Ego puto ideo appellari ciuitatem Dei, quod
 Deus tam clementer respicit hanc urbem, sollicitus
 pro ea ne pereat, mittēs ei proprium prophetam,
 ut seruetur. Ideo conijci potest hanc ciuitatem ali-
 quam cognitionem habuisse de Deo, uero conditore
 caeli & terrae. Et Deus sciuit fore ut suum prophe-
 tam audirent, uerbum Iona acciperent & respisce-
 rent. Quemadmodum & scriptura de Naaman Sy-
 ro dicit, quod Deus per ipsum Syriæ misertus est,
 & Nabucadnezar Deus uocat seruum suum. Qui-
 bus omnibus ostendit se quoq; gentium Deum esse,
 & non tantum Iudeorum, & quomodo etiā in gen-
 tibus habeat suos. Quod autem in textu dicitur, Ni-
 niue erat ciuitas magna, itinere trium dierum, qui-
 dam intelligunt quoddam amplis & longis muris
 in gyrum cincta fuerit, ut trium dierum itineribus
 potuerit tota urbs circumiri, quibus non subscribo.
 Hec enim immanis uidetur magnitudo urbis & mi-
 mis fabulosa. Nam 13. aut 14. Mil. Germanicorum
 itineribus pateret longitudo murorum in gyru, &
 urbis longitudo et latitudo esset quinque aut sex Mil.
 Ideo sic intelligo, Niniuen urbem fuisse tam magnā
 & latā, ut uix triduo toto omnes eius plateae, iusta
 & usitata deambulatione, nō cursu, pertransiri po-
 tuerint.

tuerint. Nam sequitur quod Ionas unius diei itinere ingressus urbem, prædicauerit: quod puto esse tantam partem & tantum spaciū totius Niniue urbis, quantum uno die sic deambulando confici posset. Hoc indicat etiā Heb. uocabulum Malzalach, quod significat eiusmodi transitum qualis fit in deambulationibus. Quemadmodum Moses Exod. 14. dicit, Dominum ea nocte transisse per Aegyptum, & percussisse omnia primogenita. Ille transitus, non cursu, non recta aut breuissima linea factus est, sed sedate, ut in deambulationibus. Quilibet hic amplectatur quod sibi probabitur.

Et prædicauit Ionas, & dixit, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.

Itinere unius diei ingreditur Ionas urbem & concionatur. Quot autem dies transierit, antequam eam partem urbis & tantum spaciū prædicando absoluerit, textus non exprimit. Summam autem concionis breuem hic, quasi uno fasce cōplexus est propheta, uidelicet, adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur. Ionas autem proculdubio non tantum his quatuor aut quinque uerbis usus est. Sed longiori oratione tractauit hoc thema, nepe causam exprimens propter quam ira Dei impenderet, quæ scele-